



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Illvstrivm Scriptorvm Religionis Societatis Iesv Catalogvs**

**Ribadeneyra, Pedro de**

**Antverpiæ, M. DC. VIII.**

R.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68452](#)

R.

**R**AFAEL RIERA, natione Hispanus, patria  
Barcinonensis, scripsit Italice,

*De anno Iubilei M. D. LXXV.* Item,

*De Miraculis B. MARIAE Virginis Lauretana.*

**RICHARDVS ESIUS**, natione Belga, scripsit,

*Institutiones Grammaticæ Latinae.* &,

*Institutiones Grecaæ lingua.*

**RICHARDVS GIBBONVS**, natione Anglus, edi-  
dit Duaci *Decachordum Christianum M. Vigerij.*

Meditatur ingens Opus materiarum omnis ge-  
neris ac discipline, alphabeti serie.

**ROBERTVS BELLARMINVS**, natione Italus, pa-  
tria Politianus, **MARCELLI II. Pont. Max.** so-  
roris Cynthiæ Ceruinæ filius. adolescentulus se  
Deo nostra in Societate consecravit, atque excel-  
lenti ingenio, magno iudicio, improbo & perti-  
naci studio, liberales artes didicit, docuit, professus  
est. Scripsit,

*De controvèrsiis Christianæ fidei aduersus sui tem-  
poris hæreticos*, opus spissum sanè atque operosum,  
& omnibus numeris absolutum, in tres Tomos di-  
stinctum, & LXI V. libris comprehensum: cuius ge-  
neralis operis diuisio hæc est:

Tomus primus in VII. generales controvèrsias  
diuisus:

*De verbo DEI scripto & non scripto* lib. IV.

*De Christa Capite totius Ecclesiæ* lib. V.

*De Summo Pontifice capite militantis Ecclesiæ*  
lib. V.

*De Ecclesia tum in Conciliis congregata, tum sparso  
toto orbe terrarum*, lib. IV.

L 4

Do

*De membris Ecclesiae militantis, Clericis, Monachis, Laicis, lib. i i.*

*De Ecclesia quæ est in Purgatorio lib. ii.*

*De Ecclesia quæ triumphat in celis lib. iii.*

Tomus secundus in quinque controværias generales:

*De Sacramentis in genere lib. ii.*

*De Baptismo & Confirmatione lib. ii.*

*De Eucharistia & Sacrificio Missæ lib. vi.*

*De Pœnitentia lib. iv.*

*De extrema Unctione, Ordine, & Matrimonio, lib. iii.*

Tomus tertius in tres controværias generales:

*De gratia primi hominis & statu innocentiae lib. i.*

*De gratia amissione lib. vi.*

*De gratia reparatione & statu Iustificatorum per Christum lib. xiv.*

Scripsit etiam,

*Iudicium de concordia Lutheranorum.*

*De Indulgentiis & Jubilæo.*

*De translatione Imperij.*

*Liturgiam Apostolicam.*

*In hæreticum captorem fulminis XISTI v.*

*Institutiones linguae Hebraice.*

*Catechismum Italicè. itemque,*

*Declarationem Symboli. &c,*

*Responsionem ad Doctorem Theologum, de Censuris aduersus Venetos, & ad Tractatum Io. Germani de excommunicatione.*

*Aliam responsionem ad vii. Theologos Venetos.*

De Religione porrò ROBERTI BELLARMINI, pietate, demissione animi, modestia, ceterisque virtutibus, tacere melius puto, ut ille de Carthaginæ ait, quām pauca dicere; ne eius adhuc viuentis auribus,

NON

non veritati testimonium deditse videar. Illud tamen dicam, ea vitæ integritate, eruditione, prudenteria prædictum esse ROBERTVM, tam benè de Ecclesia DEI meritum, vt CLEMENS VI. Pont. Max. ipsum neque appetentem, neque ambientem, immò verò abhorrentem atque repugnantem, in Collegium S.R.E. Cardinalium cooptauerit, anno salutis M. D. XCIV. die tertia mensis Martij. Sed ille quidem sacra purpura donatus, nihil de pristina modestia mutauit, suique omnino similis, & pauper Societatis I E S V presbyter, & Ecclesiæ Romanae princeps idem semper fuit, in vnum Religiosæ vitæ & Sacræ dignitatis munia coniungens.

ROBERTVS PERSONVS, natione Anglus, patria Somersetensis, vir non magis doctrina quām prudentia & integritate vitæ laudabilis, qui in Anglia multos à Catholicę fidei veritate aberrantes ad viam salutis reduxit, plurimos Catholicos confirmauit, incredibiles labores pertulit, vitæ discrimina sæpenumerò adiuit. Perquisitus ad necem, & omnibus indiciis atque indagine exploratus, vestigiis deprehensus, fraudibus circumuentus, ac pænè ab hæreticis captus, diuinæ prouidentiæ beneficio sæpè liberatus est, vt non semel tantùm, sed per totam vitam Martyr fieret, multorumque Martyrum pater; collabanteq; tota Anglia Religionem Catholicam fulciret, ac suis quodammodo humeris sustineret. Seminaria Anglorum & Catholicorum adolescentum Romæ ac Rhemis priùs instituta, ne vel hæreticorum impetu atque insidiis labefactata considerent, vel rerū inopia tabescerent, multum laborauit, & alia Seminaria Hispali & Pinciæ in Hispaniis, & apud sanctum Audomarum in inferiore

L 5

Ger-

Germania PHILIPPI II. Hispaniarum Regis Catholici liberalitate excitari curauit. Quibus in Seminariis nobiles adolescentes ex tota Anglia lectissimi, ad Catholicæ Religionis regulam informantur, & litteris expoliuntur, ut etate confirmati, scientia instructi, sacris iniciati, spiritu robusti, in patriam redeant, & acre cum hæreticis bellum gerant, futuri quocumque euentu victores. Quæ quidem Seminaria refugia sunt Catholicorū Anglorum, naufragantium portus, ipsorum adolescentum salus, hæreticorum exitium, Apostolicę Sedis propugnaculum, auctæ Religionis præsidium. Scripsit ROBERTVS PERSONIVS varia atq; vtilissima opuscula, tum Anglicè, tum Latinè, in hunc usque diem: *ut ad edictum Anglicanum Regiae Angliae: item, Questiones de Sacris alienis non adeundis: sed suppresso nomine; ne, si verum nomine proferret, reiceretur, atque dilacerarentur propter odium Auctoris.* Sed inter alia ROBERTI opera perutile imprimis esse aiunt qui linguam Anglicam callent, & illud legerunt,

*Directorium ad Christianam fidem, quod elegans-*

*tissimo stylo Anglicè scripsit. Item,*

*Martyrologium Catholicum, contra pestilens o-*

*pus Foxij pseudomartyrum.*

ROBERTVS SOTVELLVS, natione Anglus, patria Suffolcensis. Scripsit *Libellum sive Solarium ad sacerdotes, qui pro fide Catholica in vinculis detineruntur.* Detentus est ipse, & martyrij corona donatus est, anno M. D. XCIV. IIII. Martij.

SEBA-